

DE ANNONIS ET CAPITU ADMINISTRANTIUM  
VEL ADSESSORUM ALIORUMVE PUBLICAS SOLlicitudines GERENTIUM  
VEL EORUM, QUI ALIQUAS CONSECTI SUNT DIGNITATES.

1.52.1

*Imp. Theodosius et Valentinianus AA. Florentio pp.*

Omnibus tam viris spectabilibus quam viris clarissimis iudicibus, qui per provincias sive militarem sive civilem administrationem gerunt, nec non comiti commerciorum, magistro aeris sive privatae rei, rationali per Ponticam atque Asianam dioecesin et adsessoribus iudicum singulorum in praebendis solaciis annonarum hic fixus ac stabilis servabitur modus, ut ea pro annonis et capitu dignitati suae debitis pretia consequantur, quae particularibus delegationibus soleant contineri.

*D. III k. Iun. Constantinopoli Theodosio XVII et Festo cons.*

[a. 439]